Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8322
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

iectæ sunt, quem Cherubim et seraphim indefessis uocibus lau-
dant: Imperat tibi uerbum caro factum, imperat natus ex
Maria uirgine, imperat tibi Iesus Nazarenus, qui cum dis-
cipulis suis condemnat Cliseum et prostratum ab homine exire
iussit: quo præsente cum te ab homine separasset, nec porcorũ
gregem præsumebas contingere. Recede ergo nunc adiuratus
in nomine eius ab homine, quem ipse plasmauit. Durum
est tibi uelle xpo resistere: durum est tibi contra stimulum
calcitrare: quia quanto tardius exis, tanto maius supplicium
tibi crescit, quoniam non hominem contemnis, sed illum, qui
dominator est uiuorum et mortuorum: Qui uenturus est
iudicare .etc.

Domine sancte pater omnipotens deus, expelle diabolum ab
homine isto. N. de capite, de capillis, de uertice, de cerebro,
de fronte, de oculis, de auribus, de naribus, de ore, de lingua,
de gutture, de collo, de pectore, de maxillis, de palato, de cor-
de, de corpore toto, de omnibus membris, de compaginibus
membrorum suorum, intus et foris, de ossibus, de uenis, de
neruis, de omnibus operibus suis, de iuuentute, de omnibus
conuersationibus eius, hic et in futuro seculo, et ut operetur
in eo uirtus Cristi filij dei uiui altissimi in secula seculo-
rum: Amen.

Exorciso te maledicte immunde spiritus, draco basilice,
serpens noxie per uerbum charitatis, per deum omnipo-
tentem, et Iesum Cristum nazarenum, agnum imma-